

Vos vultis esse sub lege, & ex lege justificari, atque salvari.

E. Vos non estis Filii & heredes.

Antecedens est falsorum Doctorum, vel Judaizantium. Illos Ap. ita alloquitur: Dicit mibi, qui vultis esse sub lege. Quod

I. Proponit v. 21. λέγετέ μοι οἱ ὑπὸ νόμον θέλοντες εἶναι. Ubi sub lege velle esse est periphrasis Pseudo Apostolorum, vel Judaizantium, qui non tantum urgebant leges ceremoniales, & Deum juxta illas colendum esse affirmabant; sed etiam ex operibus legis volebant justificari, & salvari, sicut patet ex capito 3. ad Galat.

II. probat, quod non possint dicere: Nos volumus esse sub lege, quia non audiunt legem, quod

(1) prop. figuratè per ἐρώτησιν, ut vis negandi, & reprehendendi sit acrior: τὸν νόμον οὐκ ἀκούετε; An legem auditis? Minimè. Nam legem non auditis. Ubi Ap. dicit absurdum esse, illos, qui volunt esse sub lege, legem non audire. Nam populum legalem oportet legem debito affectu audire, & sequi; quomodo autem is legem sequi potest, qui illam non audit debitam observantiam? Per legem autem Apostolus h. l. intelligit Genesim, quia in illa invenitur initium legum.

(2) probat ex effectu, quod non audiant debito affectu, & observantiam legem. Nam scriptum est Gen. XVI, 15. de Agar, & c. XXI, 2. de Sarà, quod Abraham duos Filios habuit, unam ex ancilla, & unam ex libera; Is verò, qui ex ancilla natus est, secundum carnem, vel juxta carnalem voluntatem natus est; qui verò ex libera, per promissionem. Quod

(N) Proponit v. 22. 23. Γέγραπται γάρ, ὅτι Ἀβραὰμ δύο υἱὸς ἔσχεν. ἓνα ἐκ τῆς παιδίσκης, καὶ ἓνα ἐκ τῆς ἐλευθέρου. Ἀλλ' ὁ μὲν ἐκ τῆς παιδίσκης, κατὰ σάρκα γεννήσεται. ὁ δὲ ἐκ τῆς ἐλευθέρου, διὰ τῆς ἐπαγγελίας. Ubi Ap. ex Genesi quoque falsos Doctores allegoricè, per allegoriam non illatam, sed innatam, & certam demonstrationem continentem, refutat, & profert historiam, quæ res verè gestas narrat, & doctrinas ex literalis sensu fluen-

tes